

G.I. Caesar · »De bello Gallico« (Liber I/6)

Cäsar erörtert die Bewegungsmöglichkeiten der Helvetier und ihrer Verbündeten ...

Erant omnino¹ itinera duo,
quibus (itineribus) domo exire possent:
unum per Sequanos² [+ fines],
angustum et difficile, inter montem Iuram et flumen Rhodanum,
5 vix qua [+ via] singuli carri ducerentur,
mons autem altissimus impendebat³,
ut facile perpauci⁴ prohibere possent;
alterum per provinciam nostram⁵,
multo⁶ facilius atque expeditius⁷,
10 propterea quod inter fines Helvetiorum et Allobrogum⁸,
qui nuper pacati erant,
Rhodanus fluit
isque non nullis locis vado⁹ transitur.

Extremum oppidum Allobrogum est proximumque Helvetiorum finibus Genava¹⁰.

- 15 Ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet.
Allobrogibus sese vel persuasuros,
quod nondum bono animo in populum Romanum viderentur¹¹,
existimabant
vel vi coacturos¹²
20 ut per suos fines eos ire paterentur.
Omnibus rebus ad profectionem comparatis
diem dicunt,
qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant.
Is dies erat a. d. V. Kal. Apr.¹³ L. Pisone, A. Gabinio consulibus.

Adnotationes: 1 **omnino (Adv.)** – ganz und gar, insgesamt | 2 **Sequani** – die Sequaner; kelt. Stamm, der westl. des Juras siedelte | 3 **impendere (impendeo)** – (drohend) darüber hängen | 4 **perpauci, ae, a** – sehr wenige | 5 **provincia nostra** – gemeint ist die von Cäsar verwaltete Provinz *Gallia Narbonensis* | 6 **multo (Adv.)** – um vieles | 7 **expeditus, a, um** – bequem | 8 **Allobroges** – die Allobroger; kelt. Stamm, der im nordwestlichen Teil der römischen Provinz *Gallia Narbonensis* siedelte (und Cäsar als wenig zuverlässig galt) | 9 **vadum, i (n)** – Furt, seichte Stelle | 10 **Geneva** – Genf | 11 **videri (videor, visus sum)** – scheinen | 12 **cogere (cogo, coegi, coactum)** – zwingen | 13 **ante diem V [quintum] Kalendas Apriles** – am fünften Tag vor den Kalenden des April (= 28. März).

